


NAZIONALE VITT. EMANUELE
69
5 G
1

IVLII CAESARIS SCALIGERI NOVORVM EPIGRAMMATVM, LIBER VNICVS.

EIVSDEM HYMNI duo, Ioanni Baptistæ clamanti in deserto, Rocho & Sebastiano.

Eiusdem Diua Ludouica Sabaudia.



PARISIIS
Apud Michaelem Vascosanū, uia ad diuum Iacobū, sub signo Fontis.
M. D. XXXIII.

NICOLAI BORBONII Vandoperani, Ad R.D. Ioannem Salazarium Archid. Senoneñ. & cæt. Virum ornatiss. Carmen.

EN tibi Scaligeri mitto noua carmina Præsul,
Carmina quæ mira dexteritate fluunt:
Et quæ Nasoni tenero si lecta fuissent,
Dixisset, Salue frater, & alter Ego.
His modulis animum studiorum pondere pressum,
Hac ueluti cithara te recreare potes:
Interea hoc cape, dignum aliquid dum molior istis
Dotibus, Ingenio, Nomine, Stirpe, Domo.
Nec te pœniteat mihi commisisse nepotem,
Talis erit, qualem (spero) uidere cupis:
Ore uerecundo est, & præditus indole rara,
In Iuuene hoc Virtus Mensq; senilis inest.
Tu modo perge mihi sic te indulgere Patronum,
Vt fiat meritis par mea Musa tuis:
Nam mihi si tanq̃ Zephyrus spiraris Olori,
Prima SALAZARIAE *gloria gentis eris.*

Vale Vir integerrime idemq; doctiss. Parisijs Ex gymnasio Bellouaco, festinatim. X. Cal. April. M.D.XXXIII

IVLIVS CAE
SAR SCALIGER
CAROLO SEVINO SVO, S.



Vm animaduertissem haud ita urgeri Tabellariũ,atq; sperauerã,admoui manus epigrammatis meis,ut & hinc compertum haberes, nihil mihi antiquius esse fide,tũ quod uerebar,ne si quid mihi humanitus accidißet, dilaberẽtur in plagiariorũ manus,si quid eßet boni,quod tuto uindicari posset,aut si quid pœnitendũ offenderetur, desideraret meã limã,tuumq; iudiciũ, cuius mihi nũc est copia, proinde ne cõmittas ut temerè nimis edẽda festinarim,cũ id egi cõsulto,uti emẽdata arbitratu tuo legerẽtur.Ex millibus ferè duobus aut amplius lecta sunt,utinã bona fide, id in ipsis curauimus uti Rallus uir doctus mẽtiretur,aut mutaret iudiciũ,qui epigrãma ullũ cultũ negarat.Secũdo loco,uersum numerosum librari etiã seuerißima aure uolui,id quod nostrates uni mihi peculiare inter amicos semper tribuebãt. Tum orationẽ splendidã,nobilem,nõ uulgarẽ,nõ fucatã,nõ hiantem,nõ anxiã:plenã,rotũdã,illustrẽ(uerbis absit arrogãtia)sed præter cætera,id studui,ut materiæ oẽs,nouis inuẽtionib⁹ atq; argutißimis,minusq; expectatis cõcluderẽtur.Nullũ omniũ hominũ imitatus,præter me ipsum,ꝑpter quod NOVORVM

EPIGRAMMATVM *me autorẽ nõ pœniteat, ita ſordidũ illũ & illiberalẽ taxãdi morẽ, ab educatiõe mea ſemper alienũ duxi, obſcœnas uero ineptias, ne uiro quidẽ dignas.* Supereſt mi SEVINE, *ut te autore ꝙ pulcherrimis mundiſſimisq; edantur notulis, ſi prius per te non ſteterit quo minus edi mereãtur. nõ ab re futurũ mihi uidetur, ſi & argumẽta adſcribas, aut ſeorſum ſingula ſeriatim, aut ſua cuiq;, uti libebit. argutia enim obſcurat initio ſenſum, quæ ubi deprehenſa eſt, tanto illuſtrior fit. Cæteros hymnos, & elegias meas ꝓximis literis mittã. Item Rerũ, uerborũ, rituũ, & originũ libros duodecim, quibus prima pars perficitur. Alterã centũ uiginti libris perfectã mecũ afferã, ut publicè abſoluatur. Tertia nondũ perfecta eſt. Item librũ admirabilẽ de ſimplicib⁹ medicamẽtis cum erroribus, tam antiquorum, ꝙ recentiorum.* Vale, *Agenni.* XV. *Cal. Feb.* M.D.XXXIII.

NIC. BORBONIVS Vandoperanus,
D. Carolo Seuino uiro religioſiſſ. & doctiſſ.

Si promiſſa ligant, habeo te Carole uinctum
Obſtrictumq; mihi. Quid ſibi uult hic? ais.
Dicam. Tu nobis meminiſti ut nuper (opinor)
Pectore ſponderes munera digna tuo:
Nempe ubi *Scaligeri* facta eſſet mentio Iuli,
Vt per te fieret ſcilicet ille meus.
Verum hoc ut tanto infelix me digner honore
Abſit, quin potius illius eſſe uelim.
Ergo ut ſim facito, ſat feceris: omnia habebo
Mox, ubi qui Muſis imperat eius ero.

Vale Seuine cãdidiſſ. & Borboniũ tuũ amare perge, id quod ꝓfectò mutuiter facies. 1533.

IVLII CAESARIS SCALIGERI, EPIGRAMMATA.

AD VMBRAS EORVM, QVI

desperatis amoribus sponte sibi mortẽ cõsciuerunt, quorũ numerum sese aucturum pollicetur, si tamen quispiam mori poßit, qui amore tabidus iam umbra sui est, non uiuus homo.



Væcunque infernæ Veneris per
inania regna,
Per Stygiã tacitis tractibus itis
aquam,
Vmbræ: quæ leuib⁹ tenebras per-
stringitis alis:
Quas uiridis placido Myrtus inumbrat agro:
Crudeles utinam solæ uideatis amores:
Turbidaq; in fletu carmina fusa rudi.
Hic mihi dum ueteres aspirat Nænia flammas:
Oraq; fatali melle uenenat Amor.
Mox uestrũ aucturus numerũ moror omnia: nostri
Si modo ego hinc possum corporis umbra mori.

Ad Lesbiam uti sui misereatur.

Cum primum ex ista facie mihi dura tetendit
Retia: digna fuit, digna perire Venus.
Digna fuit. Diuum sed si natura repugnat:
Nec iam adeo effuso mors uolat atra gradu:
Tunc ego debueram semel exspirasse: nec ultro

Heu toties fatis sic superesse meis.
Quales purpurea soluuntur luce pruinæ:
Qualis odorato cera sub igne cadit:
Vror:& indomitæ uexant præcordia flammæ:
Atq; ferus lenta me face torret Amor.
Aspexi quoties diuinum frontis honorem:
Aureáq; in blandis sidera luminibus:
Pectoribus toties hæserunt spicula nostris:
Mistáq; cum gelido spes fuit aucta metu.
At tu per teneri iucundum lumen Amoris:
Hei mihi qualem oculus spirat uterq; tuus:
Lesbia sidereum cæli decus:unde Cupido
Deduxit rapidas in mea damna faces:
Heu heu perpetui tandem miserere doloris:
Hæc anima ut uotis seruiat una tuis.

Quod sese interfecturus, abstiterit, præcepta spe, ex Lesbiæ futura facilitate.

Non, ita me Dij ament:& Dijs mihi millibus una
Lesbia:Dijs magnis millibus una prior:
Huc ultro, luctu captis superauimus annis:
Et uitæ potui tædia ferre trucis.
Sed ualidas ausum naturæ soluere leges,
Et petere in nostros ultima dona rogos,
Risit:& obiectis mea Lesbia lucibus illis
Quæ fraudant numero sidera magna suo:
Et uitæ,& mortis sedes ostendit:& inde
Dulce fuit nobis uiuere:dulce mori.

Solicitari se Lesbiæ desiderio ubicũq; ipsa fuerit, nisi cum se trãfert in castra perfidiæ, quoniam ipse firma fide nitatur.

Qua præceps Athesis rapido citus amne superbit:
Et iuga pacato Barbara mutat agro:
Q; me solicitat peregrinæ spiritus auræ:
Q; sine te patriæ Lesbia sordet Amor.
Q; stupeo: quantus cæli me tractus iniqui:
Quantáq; me profugo diuidit unda mihi.
Me trans aerias alpis fuge, transq; sonantem
Nerea: stricta pigro qua stupet unda gelu:
Huc ubi perpetuo Phœbi damnatur ab æstu:
Atq; hiat indigenis perdita terra notis:
Tecum adsum, tecum trahis in deserta sequacem:
Tecum solicito per fora densa pede.
Tantum sæuitiæ, & fraudis fera castra dolosæ
Cum petis: absentem Lesbia nulla rapis.

Ad Lesbiam que spõte hausto ueneno obierat, accepto falso nũcio interitus ipsius è clade Rauennati, quã depictã postea semper circũtulit.

Debebam tibi me pro noxa Lesbia: uerum
Vita mea est grauior mortua morte tua.
Subtractam tibi te, nobis hæc reddit imago:
Fingere me nullum nulla tabella potest,
Immo hoc heu nostri monumentum est funeris: at te
Ars nisi sub nostro pectore nulla capit.

Ad Garumnam fluuium, ut timeat Aellæ aut gelu ob animum auersum à Venere, aut flammas ab oculorum uiolentia.

Vane, quid auspicijs leuibus Garumna superbis?
Quod lauit aureolos flumine Aella pedes?
Ah quàm solicito quæres in gurgite fluctus:
Q; miser in toto flumine nullus eris.
Siue ustum te flãmigeris afflabit ocellis:
Seu tacitas animi frigore coget aquas.

Ad Altinium riuulum Patauinũ, quem uulgus Riualtum uocat, ut afferat suas lacrymas ad Glaucillã, cuius sæuitia uix alia aqua saturetur.

Altini pater, hic tenui licet abditus unda
Grandia uix habeas nomina ferre dei:
Altini tamen argutis placidißimus auris,
Altini Euganeæ Rexq; paterq; plagæ:
Quid graue si salso tingam tua flumina fletu?
Quoq; fugis, refluo sunt freta salsa uado.
Hasce trahes lacrymas duri monumenta doloris,
Ipse quibus celeres auctior addis aquas:
Qua tua Glaucillæ pedibus leuis unda superbit:
Et cælum suda luce serenat Amor.
Nec timeas haustus quæsituram fontis amaros:
Nam domina haud alio pascitur Imbre mea.

Optat fieri ſylua, ob ſtudiũ uenãdi quo Aella tene batur, cui ſuadet ne abſit. nam ſi abit odio poetæ rogat ipſam ut cor reddat cuius odio teneatur ne ceſſe eſt, aut ſi prædã mitem petit quales ſunt damæ & lepores, nihil ſe mitius dicit, qui & ultro captiuus ſit. ſin truces feras ſequitũ nõ eſſe illi aliã feram à ſeipſa quærendam quæ ſit ferociſsima.

Si fato fuit, ut curſu meus ignis anhelo
Truderet infeſtas corde micante feras:
O ſiam uiridis fruticoſo uertice collis,
Fultáue cornigeris lucida ſylua comis.
Qualis in abducta fertur Lilybeide terra
Aetna leues uſta paſcere fronte niues.
Aut ego ſub iaculo ſpectarer ceruus acuto:
Aut premeret celerem copula fida canem.
Sic miſero mihi præfertur nemus, atq; cruenta
Teſqua, & inhumano ſemita capta rubo.
At tu, ſiue odio noſtri ſubduceris: huc cor
Redde: quod in ueſtro pectore ſignat herum.
Seu placidi gregis alta premis ueſtigia: ne mi
Captiuo profugos præfer Aella pedes.
Siue truces ſequeris animoſo pectore peſtes:
Aptior eſt uotis te fera nulla tuis.

Præfert fluuiũ Granam in ſubalpinis, Pado & Tybri ob Teleſillã, quæ in eo lina macerabat nec cõtẽnendus q, lutulẽtus fluat, hoc enim cõmodi affertur, cũ eo p ſpeculo uti nõ poteſt Teleſilla unde fiat ſuperbior.

Ille, uides, tenui qui stringitur alueus amni:
Qua prati genio sordida pinguet aqua?
Clarior est mihi uel Tybri, uel Rege superbo
Quem non solicitat segnior unda, Pado.
Hic canit ignotas, nisi Dijs, Telesilla camœnas:
Et domat effusis mustea lina uadis.
Spernis an hæc lutulẽta? magis mihi cõtulit hoc: quod
Non redit á speculo facta superba suo.

Arguit noctis morã, quã & frustra futurã dicit, discussum iri nãq; ab amicæ luce, tãq̃ à sole.

O nox perpetuo nox ô mihi longior æuo:
Nox mihi spiranti surdior una freto:
Non pudet effœtas producere longius horas:
Et trahere ignaua non tua regna mora?
Promissos mihi sub lucem ut frustreris amores:
Optatoq; tenax incubet hora die.
Nil agis, & medijs si se mihi suggeret umbris,
Afferet à frontis luce serena diem.

Si Veneris præmia tam fluxa sunt, quare pœna tam diuturna?

Frigida cum tacito mea Circia tabuit igni:
Et soluit castos flãma inimica sinus:
O q̃ rara fuit: sed q̃ cito rapta uoluptas.
Q; fera de nitida nox cita luce uenit.

Si peritura breui fuerant ea munera: quid me
Perpetua æterno fulmine flamma rapit?

Pastoralis lusus. Ad Aquilones uertit sermonẽ ut aut ne deleant tollant ue trunco inscripta, aut si flando furere maluit, auferãt ignes cupidineos ab se.

Si me crudelis custodia dura nouercæ
In ueteres pastum crastina mittet agros:
Huc, ubi tu niueas aspectans concolor alpes
Dura peregrinis lina retundis aquis:
Descendam Talarisca. pecus curabit Hiellas:
Vel fiat saturo præda cruenta lupo.
Attulit Euganea Corydon mihi nuper ab urbe:
Quid quæ habet ortygalis? omnia rara: ueni.
Quorum nunc etiam quædam tibi uita tulissem,
Aptius è cunctis quod placet ipsa leges.
At uos, qui patrios Aquilones uritis agros:
Siccaq; puluerea stringitis arua fuga:
Flatibus horrificis, aut scripto parcite trunco:
Aut nostras uestro hinc ferte furore faces.

Nocte deprehensus consulit sidera, quæ ab amore uacua non suspicatur, quoniã & in eo, & in ipsis flãma communis sit. Aut inquit, si uia siderum munere non aperiatur mihi, ignis luce quem gero pectore, patebit.

Vna quæ perijt nos hac in nocte perimus:
Tam miserè auersos quæ dedit una deos.
Quas ego non cæli faculas, tacitosq; Quirites
Suspiciens, supplex uota precesq; tuli.
Sempiterni ignes, & opacæ noctis ocelli,
Arbitraq; & flãmis conscia signa meis:
Nequicquam ne in uos ueteres mentitur Amores
Conniuens rutilo hæc candida flamma polo?
Aut monstrate uiam: aut surdis si conqueror auris:
Ignis hic innumeri sideris instar erit.

Agnoscit iter amicæ ob serenũ cælũ fugatis tempestatibus, timet igitur sibi interitũ, quoniã tota uita ipsius nubila constet tempestate ob aduersos Amores.

Hæc uia quæ nitido grauis asturcone superbit:
Quæ tenet intactas puluerulenta notas:
In nostrum hæc rapidos cælum transmittit amores.
Agnosco Dominæ candida signa meæ.
Iam latæ indomitæ ponunt fera corda procellæ:
Atq; nouo lætus ubere lucet ager.
Diffugiuntq; graui palantia nubila plausu:
Atq; acies pluuij concidit acta noti.
Sis lenis Dea: sis misero dea lenis amanti:
Parcius atq; oculis utere diua tuis.
Si soluis tempestates: si nubila differs:
Quo stabit uersa in nubila uita mihi?

Præfert Amicã Auroræ & Phœbo, quæ sine his, satis sit ad diem reducendum.

Luce sua mea lux trepidos ubi soluerit ignes:
Et caua conspicuum fugerit umbra caput:
Ad ne optem mihi diua tuos matuta labores
Quæ uaga roriferis hora reducat equis.
Quid mihi cũ Phœbo huc? uestras ille excutit umbras:
At mihi in hanc noctem fax satis una uenit.

Contraria monstra in se inesse, quoniã Glauciæ naturã imitetur, quæ ignem simul & gelu gerit illum oculis, hoc corde.

Si qua sub aduersis diuisus destinat oris
Monstra peregrino perdita mundus agro:
Huc collata, suoq; adeo contenta rigore
Sint tanq̃ nostris semina parua malis.
Quis ne unq̃ gelidis alsit ferus ignis in undis?
Quæ concepta feris ignibus arsit aqua?
At mihi non imbrem lacrymarum interficit æstus:
Non lacrymarum ictus æstus ab imbre cadit.
Quid mirũ? si me uestris affingere flammis:
Et glaciem propero uelle referre tuam?
Isto oculo tacita exuris me Glauca loquaci:
At torpent grauido corda retusa gelu.

Nocturnũ cælũ suspiciẽs, monet Luciferũ uti cogat gregem siderũ, cuius numerus fraudatur absentibus oculis Pholoe, quos dormiẽs clausit.

Cætera quæ uestro fulgent uaga sidera mundo
  Extulit ex alto nox taciturna mari.
At mihi iam misero silet omni sidere cælum:
  Lumina dum Pholoe lucida somnus habet.
Lucifer aurati pecoris cordate magister
  Coge gregem: numerum non habet ille suum.

Ad Idmonē pastorē, Bathyllæ imaginē ubiq; oc currere: è lacte, è collib⁹, sereno cælo, & turbido: etiā inqt medijs ignib⁹, licet illa sit frigidiß.

Idmon, cum tenui diducta est fiscina iunco:
  Et spuit argutæ prandia grata cani:
Aspiciam lacerum hoc morienti lumine septum:
  Et neget infecto uellere fœtus ouem:
Ni me de simili lucens crudelis imago
  Verberat: & medio lacte Bathylla uenit.
Seu pictos uideo colles genitalibus auris:
  Seu gelidas rigida ualle sedere niues.
Signant præcipiti stagnantia flumina cursu:
  Lenis & astricto murmure fluxus aquæ.
Qua me uerti oculis, oculos ferit, uuidus illam
  AEolus, & sicco Iuppiter ore notat.
Ostendit uiduus deserto stipes in agro:
  Vernaq; sub reduci sylua parata coma.
Quin tenuem in cœnam tepidum cum spumat ahenū
  Coctaq; ludenti palpitat igne cutis:
Fingo illam in media flamma mihi, sed tamen eheu

Me miserum, flamma q̃ procul illa mea est.

Dolet & lætatur simul Amicæ duritia.

Aspexitq́;, abijtq́;: & spicula cæca relinquens
Fraudauit uotis brachia nostra suis.
Ah loquor infelix, solo si lumine uicit:
Quid faceret toto corpore Diua tibi?

Comparat crepusculi fulgorem Lucinæ, sed augurio aduerso ob superbiam.

Cernis ut hesperijs flãmatus Iuppiter auris
Seros purpurea luce colorat agros?
Ostendit uestri speciem Lucina decoris:
Absimilis heuheu sit licet ille tibi.
Pura serenatis portendit lumina terris:
Crastinus ut nitido Phœbus obibit equo.
At mihi uel medium frons ignibus ista coruscis
Abiurat picea condita nube diem.

Miratur qua ratione tam æstate q̃ hyeme male habeat amãdo, cũ aut frigore aut calore iuuari deberet. Tũ Amicæ potestate id fieri dicit, quæ frõte sua ĩ cælũ & tẽpestates pariter ius habet.

Daulias exiguæ gelida dum noctis in umbra
Dulcibus attonitas questibus urget aues:
Et dum præcipiti superantur flumine ripæ:
Informisq́; graui nix iacet alta gelu:
Quid tamen aduersis toties miser alloquor auris

Vosq́; feros æstus, uosq́; feras hyemes
Si fuit, ut flāmæ laqueis torquerer acutis:
Debuit accensas frangere bruma faces.
Frigida sin lacrymæ Lachesis me destinat atræ:
Auget inhumanas unde mihi æstus aquas?
Sic est, quæ cælum obducit, cælumq́; serenat:
Tantundem ipsa & in hæc tempora iuris habet.

Ad conuallem Viuesiam in qua ꝙ frequentius amores suos suspiraret reddit rationē, quoniā Dominæ suæ similis sit, præterq̄ ꝙ uallis humida est, Amica autē nunq̄ pietate lacrymans.

Aurea perpetuis specuum consepta ruinis:
Fida comes miseris questibus una meis.
Quod tantum huc dubia conceptas uoce querelas
Confero: quod sæuo nomine pulsa sonas:
Hoc fit: nam præter teipsam loca deuia, nostræ
Nulla magis referunt ora superba deæ.
Sic & ubi truncis respondes uocibus: illa
Reddit in extremo uerba retorta sono.
Tu tenerum uernis ut pingis floribus annum:
Sic florens nitido fundit ab ore iubar.
Verum anni interitum tristi cum funere montes
Lugent, & gelidas uda refundis aquas:
Vnum hoc dissimile est, duro nam marmore: duro
Aridior lacrymas reijcit illa meas.

Metuit nequid abſenti amicæ humanitus accidat, ad mortem conuerſus, oſtendit in illam ius ipſi integrum non eſſe, quum tota Poetæ pectore capiatur, utrunq; eſſe perdendũ ſi illam petat, ita innuit ſe nolle eſſe ſuperſtitem.

Aſpiciam ne illo redeuntem è littore, qua tum
Vita è dimidio lumine cœpta mihi eſt?
At tu quo licet in dominam graſſare triumpho:
Et penitus laqueis utere dura tuis:
Non potes in totam: potior pars altera mecum eſt,
Vnam ſi quæris perdere: perde duos.

Ab anicula effictam dominam præſtigijs, quæ quòd umbra ſit inepta ad prehenſandum non propterea fefellit ſimilitudine, æq; enim dilabitur amica uera.

Quæ ueterem cæli Genium, ſolesq; fatigat,
Et grauis innumera luce ſuperbit anus:
Sæpe ſub accliui ſurgentis colle Sabini,
Sæpe ſub inſomni te mihi ſignat aqua.
Quà piger ambigua trepidans Altinius unda
Auctior it lacrymis in tua iura meis.
Verum ubi in amplexus, atque oſcula dulcia demens,
Turbidus ac demens corde micante ruo:
Inde rapi ingratis uideo mea gaudia uentis:

Inde rapi ingratis uideo mea gaudia uentis:
Fictaq; præcipites effugit umbra manus:
Heu potuere artes Magicæ non amplius ullæ
Fingere, non aliter tu quoq; prensa fugis.

Calendis Maijs corollas nõ esse potius petẽdas ab amica quàm alijs diebus, quoniã ipsa etiã in media bruma Ver parit.

Aurea cum nitido tellus opulescit amictu,
Fœtaq; fœcundo sole grauescit humus:
Quid mea lux uirides placido petis ore corollas,
Ritus ut à ueteri conditus extat auo?
Hei mihi quantum atris nigrescunt pectora curis:
Nec cadit hic cæli sub mea corda decor.
At mihi si reducis tempestas nobilis anni
Læta iubet læto tempora corde sequi:
Non est quod rapidos æstus, hyemisq; furores
Posthabeas, hæc ut munera uere feras.
Seu uer, seu mihi bruma: ferat si bruma mihi te:
Fiet uel medio uer mihi bruma die.

Cum dormiret, adueniens amica excitauit. Sic fugit hora somnij à sole, sic fugit somnus ab altero sole.

Iam placidus curis somnus successerat atris
Blandus, & incauto pectore fusus erat.

Regna trahens uictæ Veneris mea Lollia secum,
Constitit ad taciti conscia fulcra tori.
Et sensim admotis oculis, quibus imperat astris,
Exoluit gelidi dulcia uincla dei.
Quid somnum aufugere est mirum? sic sole recenti
Sic matutinam, sic facit ille fugam.

Cum se uitæ tædio uult interficere amoribus desperatis ocellos offert Amaranthis atq; stupo rem infert, ita ne moriatur, moritur prius.

Ceperunt quoties miseræ me tædia uitæ:
Statq; mala ultrici tanta abolere manu:
Lenior ostendit placidos Amaranthis ocellos:
Corq; timens trepidum uulnera dura fugit.
Tunc leuis amentem ancipiti spes occupat ala:
Vtq; mori nequeam, mors prior illa uenit.

Amicæ uenustatem uinci tempore, & uincere amorem constantia: sese autem uincere tempus, & amore uinci.

Mellitos oculorum haustus, frontemq; superbam,
Osculaq; insidijs insidiosa meis,
In prædam trahit: & cursu populatur acuto
Impia, quæ didicit perdere cuncta dies.
Nec te in diuinas crassantem sæua papillas,

Atq; in magnorum tot monumenta deûm,
Terrebat pudor? At Veneris nunc perdita regna:
Contemptus nullo uulnere nudus Amor.
Me tamen in ueteres idem furor obruit ignes:
Et memor antiqui muneris una fides.
Tempora te uincunt, spretum quæ uincis amorem:
At me qui uinco tempora, uincit Amor.

Vere omnia lætari præter se unũ, quoniã omniũ aliarũ rerum sol lætitiã præbeat, ipsius autem sol, hoc est amica, nubila amet, propter tetricam seueritatem.

Dum uarij uernant Zephyro genitore colores,
Vmbráq; subiectam lucida pingit aquam:
Atq; anni facies, & ueris nobilis ætas,
Sunt totidem cordi uulnera dira meo:
Infelix miror, lætíq; immunia cæli:
Quo dicam auerso pectora nostra deo?
Ah gentes aliæ puro, populíq; fruuntur
Sole suo: & noster nubila solus amat.

Aspectu Pholoe, aufugisse ab se animũ ad eã. Ignoscit fugitiuo, qui tantum æstum quantum patitur haud minore gelu quàm quantũ in illa est, moderare potuit.

In me auidum Pholoe quoties inflexit ocellum:

Nostráq; sub lenta pascitur aura face:
Affixum me animus cura fugitiuus inani
Lusit:& ad dominæ se tulit ora suæ.
Ignosco fugitiuæ tibi:moribundus ab æstu,
Haud alio poteras fulmina ferre gelu.

Calēdis Ianuarijs nō uulgaria munuscula expetere,sed basiola,& eiusmodi.

Crastinus ut reducis fiet sol portitor anni,
O tibi perpetuos incohet ille dies.
Ne calices mea lux,nec cymbia mitte:nec auri
Lucida compositis pondera picta notis.
Quid mihi cum capida? mihi quid cum mētore?tu mi
Candida thesauris munera mitte tuis.
Basiolum mihi mitte,mihi La La mitte meum cor:
Et qui carnifici lumine risus hiat.
Intercepta times pereant?iunge oribus ora,
Vt tectam peragant tutius illa uiam.

Ab eodē speculo referri,& se mollem ac fera uidū,& Pholoen durā ac frigidā, optat igitur ut uterq; durus ostendatur,aut uterq; facilis.

Hoc nostri speculi speculum Venus,unde Cupido
Extinctas didicit rursum animare faces:
Non solum Pholoen,duro sed ab æquore monstrat
Flammea cum gelida pectora nostra Dea.
Ah quàm dißimilis uno fortuna metallo

Ludit:& aduersis utitur una modis.
Vt gelidam duro demonstrat ab æquore diuam,
Vt duram gelido monstrat ab orbe deam:
Me gelidum duro, gelidoq; sub æquore signet,
Tamq; ego sim durus, quàm fuit illa mihi.
Aut poni in gelido potis est si flamma metallo:
Hæc facula afflatos indicet una duos.

Epitaphium Albij coloni sui, qui uoluit agro paterno sepeliri.

Quem segetes, quem uita deos imitata priores,
Quem gemuit larga fertilis annus ope:
Albius huc patrij post aurea fœdera sulci
Debita poscenti semina soluit humo.
Bis felix ager:& studiosum passus aratrum,
Atq; iterum domini cum tegit ossa tui.

Non cõuenire monilia collo amicæ, sed sibi qui captiuus sit, q. ea uinculorũ speciem præbeãt.

Quid tibi sunt tereti bacata monilia collo?
Quid tegit æthereum pallida turba decus?
Captiua dominum ostentans sub imagine collum,
In nostrum exerces regna superba caput.
Transfer ab his, in me transfer fera munera, regnis:
Conueniunt magis hæc uincula dura mihi.

Ad curas, quòd nō debeant residere in corde, quæ sedes est diuæ suæ.

Curæ, infelices curæ; quæ fortibus ausis
Finditis innumero pectora nostra pede:
Ecquid ubi aßiduis exercita mortibus antra,
Et datur occultos cordis adire sinus:
Cernitis æterna mentis sub luce latentem:
Quæ ueram ostentat unica forma deam?
Isthinc uos decuit fugere execrabile uulgus:
Et sua iam dominis linquere regna deis.

Ad Alpes Noricas ut inter Sueuos agens cor suū p se alloquant̄, persuadeāt́q; uti redeat, neq; niues exhorreat in transitu alpium: quippe qui Pholoe gelidiß. pectus habitare potuerit.

Quæ mihi præruptis rigidæ ceruicibus alpes
Redditis infestas ad bona nostra uias:
Qua nebulosa cauis fumat Germania campis,
Et concreta fero frigore torpet humus.
Nam uos tam uiridi uestitas uertice pinu
Nostro credibile est intepuisse Deo.
O saltem faciles taciti per inania cæli
Reddatis cordi murmura pauca meo.
Dicite mi properet surreptam ducere uitam
Atq; obiuratos uelle referre dies.

Neue gelu durum excuset, tristisq; pruinas:
Quod potuit Pholoe pectora ferre trucis.

Basia seminat, quorum culturam commendat uoluptati, & Veneri.

Indulgent mea torquatis nec septa columbis,
Nec metuit tenero de grege præda lupum.
Aurea nobilium rerum regina Voluptas:
Sit satis hæc Adolæ texta corona manu.
Tu modo fac tumidis quæ credimus oscula sulcis,
Candida puniceis frugibus aucta sonent.
Quid mihi cum Cerere huc? ueteri uacet illa dolori,
Quid mihi cum uestro uomere dura Pales?
Omne opus à domina, culto satis excubat agro
Rustica pro nostro semine facta Venus.

Ad Venerem, ne ruris eam pudeat, cum det operam superiori semēti, talia enim basia sunt, ut pro suis subijcere posit Vulcano, si eius tædio afficiatur.

Quid pudet auditis quæso cytherea iuuencis?
Quid rus purpuream ducit in ora notam?
Quam sterilis quondam turbarunt murmura syluæ,
Te petit hæc placido fertilis ora toro.
Aspira faciles ad credita basia sulcos,

Et grauidas nostro semine finge faces.
Non *studium penitus, curas nec prodis inanes:*
Diua *feres opera præmia digna tua.*
M*atura roseos capiens semente maniplos:*
Interea nodis callida necte tribus.
Post *ubi* Lemniacæ *capient te tædia flammæ:*
Sollicitum nostro munere falle deum.

Epitaphium Andreæ Mantegnæ Martij filij Pictoris omniũ excellentiss. & Plastæ, iratas illi parcas quoniã uitã mortuis restitueret statuis, quare & nũc post eius mortem, si quis uitam appetat, mori uelle ut eo descendat.

S*æcula* Martiades *rerum dum fluxa propagas:*
A*rmasti fatis in tua fila manus.*
N*unc nigras* Erebi *quando diuertis ad umbras,*
Velle mori cogis, uiuere si quis amat.

Carolus Seuinus miserat libellũ de Ranis, Testudinibus, Cochleis, & planta Sicula, quẽ Castum ueteres uocabant, nunc Carchiophyllon nominant, id celebrat hoc epigrãmate eloquentiam epistolæ, & orationis Venerem, quam hic comitem esse rebus his scribit.

Q*uot mihi ludentis udo sub gurgite ranas:*
Q*uæq; latent patulis cornua falsa cauis:*

Quasq; sub incultæ piscoso margine ripæ
  Arida marmoreo tegmine testa capit:
Ipse meros totidem misit Seuinus amores.
  Absens muneribus non quit abesse suis.
An ne suas igitur liquit Venus aurea Conchas:
  Et nitet in putri surgere iussa lacu?
Cuncta trahens secum illa salis pigmenta Latini
  Miscet honoratis munera tanta iocis.
Tam blandis Seuinæ ardent accentibus auræ:
  Tam nitidum latio spirat honore decus.
Ille etiam Siculis olim surgentia sulcis
  Germina compositas iussit inire dapes.
Sed non & rudibus, Phœbiq; ab luce reclusis
  Ostendit faciles aurea mensa deos.
Aptius haud poterant mutæ testudinis ora
  Quàm tam facundi uindicis ore loqui.

Ad somnum, qui cum omnia domet, septimum iam diem amiserit in se imperium, qđ si in perniciem ipsius cõiurauit cum cæteris dijs: at saltem sui regni ipsemet misereatur: cuius sublatum ius est se tandiu uigili.

Somne graues hominum solitus deludere curas,
  Aurea cum uigili sidera luce micant:
Atq; idem solitus hominum reserare labores,
  Cum repetis placido sidera fessa pede.

Ecquid ubi genus omne auiũ, genus omne animãtũ,
Ipsáq; Lethæo flamina rore domas:
Non pudet exilio, ac luctu, curisq; sepultum
Tanti unum immunem muneris esse hominem?
Septimus Hesperijs ubi sol caput obruet undis:
Et dabit amplexus serior hora tuos.
Cætera si tecum coniurant numina: uicti
At saltem regni iam miserere tui.

Persoluit basia Veneri dicata, cætera nõ dicat, quoniã uel regno ipso Veneris potiora ducat.

Quæ tibi si nostris plausisset tessera uotis
Propositis ludens præmia suauiolis,
Deuoui: tibi habe quinq; isthæc basia, habe me
Quem damnes uoti Cypria diua reum.
Cætera si uestrum pacato numine, si fas,
O dea: uel regno sunt potiora tuo.

Stupet oriens Aurora cum aspectat Bramum montẽ Garumnæ imminentẽ, ubi agebat amica: cuius fulgore ibi diem præueniẽtem uideat, cum tamen ora sit occidẽtis, nõ esse illi mirandũ si duos soles offendit, cum ipse geminis ijs solibus, gemina nocte prematur, desperato scilicet amore ob puellæ sæuitam.

Mons ubi Garumnæ pernicibus imperat undis:
Iuráq; perpetuas in sua cogit aquas:

Aurea purpureo ſurgens Aurora cubili,
Dum ſiccat madidas roſida diua comas:
Quæ ſtupet Aethereo perfuſos lumine colles:
Extortumq; alio quàm ſtupet orbe diem.
O dea:quid geminas miraris candida flammas
Eoæq; faces,Heſperiæq; deæ?
Ecce tibi maiora mei ſpectacula fati:
Qui gemina,duplici lumine,nocte premor.

Gratulatur munificæ nocti:Dolet eius breuitatem:Nox reſpondet tantum lucis quantũ in puella ſit haud perferre poſſe,uel inuitæ igitur diſcedendum.

O noctem auguſtam:qua nunquam purior ulla
Aurea purpureum lux tulit alma diem.
Vnde uenis?Nox felici,nox lucida lauru:
Nox mihi perpetuis lucibus una prior.
Té ne Thetis tenuit nitido pulcherrima curru?
Té ne ſub Heſperio pauit amica ſinu?
Té ne in Acidalijs aluit Venus aurea campis:
Pectoráq; æterno pura referſit agro?
Vnde refers faculásq; nouas,raróſq; Hymenæos?
Vt refers gemino lumina fulta die?
Dum loquor infelix:quid abis?quod tendis iter? quas
Sæua mihi tenebras,ſæua relinquis opes?
Diua redi,nequeo,tanti ſub ſolis honore,
Tam nitidis flammis atra fauere queam?

Cum in fontibus Nymphas habitare, omnibus fabulis receptum sit, admota fonti facie stella, suspicata est umbrã suam esse Nymphã, quam cum excellentem uideret, obturbauit, præcata poetam ne ab amore discederet.

Vt se conspexit tacita meus ignis in unda,
Eq; repercußis umbra reluxit aquis:
Hoc metuens, ne transferrem mutatus Amores,
Impulit irata lucida stagna manu.
Et concepta diu iurare in uerba coegit,
Miscens languidulis oscula rupta modis.
Turbida fallaci ne admossem lumina fonti:
Ah ne odiosa suas proderet unda faces.
Tunc mihi rimatæ dulces præcordia guttæ
Presserunt mutilo uerba retorta sono.
Hunc ꝓfugũ à nobis animũ, hæc ꝓfugi hospita testor
Pectora: sed fastus testor Aella tuos.
Ne quicquam me alij facies tua destinat igni,
Haud ita lympha mihi te abluere una potest.
Tu modo ne miseros exure proteruior artus,
Ignea ne hoc cogar fonte leuare mala.

Padi undas secum trahere cor & curas ad loca inferiora ubi esset amica, sed curas redire cor non redire

Aspice quæ rapido sinuosa uolumina flexu

Impetus in Nerei stagna superba rapit:
Secum perpetuo congestas agmine curas,
Secum eodem misera flumine corda trahunt.
Ah quàm diuerso perit hæc concordia fato:
Si redeunt curæ, si fera corda manent.

Scribit congressũ amicæ dispari euẽtu sibi & loco: nam loca hilarat, sese autem cruciat.

Hic iacuit, grauidos illic dum soluit ocellos:
Credidit herboso candida colla toro.
Hic me expirantem cursu correpta superbo
Destituit rapida sub iuga longa fuga.
Quali purpureæ colludunt more columbæ:
Vt raptus duplici redditur ore cibus.
Hic mihi Puniceos libauit diua racemos
Osculáq; insueto mille sepulta sono.
Felices segetes: felix uindemia: quantum
Vno eodem uarijs utimur orbe deis.
Lydia si uestras animabit frondibus auras:
Si steriles picto floris honore uias.
At mihi cum misero uel tantum inflexit ocellum
Igneus in lacero corde triumphat Amor.

Inter osculãdũ transfugit cor, optat cor ipsum fieri, corrigit uotũ, si tanto corpore uim amoris ferre non potest, qua rõne poßit, si pars fiat?

Hoc mihi restabat misero de millibus: hoc me
Reddidit extremo sors inimica deo.
Transfugit mihi cor semibulca sub oscula ductum:
Quodq; ego non potui, pars tenet una mei.
O ego pars nostri fiam miserandus, o à me
Sic poßim rapida perfidus ire fuga.
Ah si ferre nequis tam grandi corpore flammas,
Qui poteris rapidas pars modo ferre faces.

Ad aquas Aponēses cū esset, cōparat cū aquis illis calidis, lacrymas suas & cū colle ignifero, æstū amoris, atq; utrunq; à se uictū dicit, unū excipit, q aquæ illæ tollūt morbos unde & nomen græcū, lacrymæ autem ipsius nihil possunt, ob sæuitiam puellæ.

Iam quater auratis remeans dea lutea bigis
Piscosos Nerei quinta colorat agros.
Sulfureas Acorin cum suspiramus ad undas,
Lymphaq; crudeli sub face uicta fugit.
Scilicet antiquo mons ipse incoctus ab æstu
Feruidior nostra se negat ire face.
Euganei latices, quæq; horrida saxa tenetis,
Quæq; leues placido colle sedetis aquæ:
Tuq; pater princeps: qui pumice tectus obusto
Clara triumphatæ nomina pestis habes:

Cede meis lacrymis, Lacrymæ tamen heu tamē ipsæ
Debuerant pestem uincere posse meam.

Lucæ Gaurici præceptoris, Astrologorū omnium excellentissimi Epitaphium.

Post leges cæli uarias, ascriptaq; mundo
Fœdera: post superis reddita iura deis:
Quem uix siderei magnum cepere recessus:
Hoc hostes modico limite terra tegit.
Viuere dignus erat semper: Sed uita futuris
Auctior, æterno lumine uita fuit.

Quod sæpenumero somniauerat, amicam amplectitur, quam mortuā audiuerat, timetq; adhuc ne somniet.

Viuis? & ô nostri potior nota pectoris, uno
Restituis tibi me, te mihi, meq; die?
Quam dudum exiguo uita hæc fluitabat hiatu:
Q; mox contempto funere læta uenit?
Alloquor? an toties fallaci perdita somno
Præsagit faciles nox taciturna deos?
Osculor? an pariter uacuis erramus in umbris:
Carpunturq; auido corpora trunca gelu?
Sed seu nos fera mors curis subtraxerit atris,
Siue quies tacito me petit alta pede:

Aut hæc perpetuo ludat mea lumina lapsu
Aut mors hinc gelida soluat utrunq; manu.

Lusus suos tanti esse, ut & Dijs inuidiam facere poßint, eos igitur Veneri dicat.

O *Venus, hæc lusus fera prælia matutini:*
Quæ uouit facili dulcis Aella *tibi:*
Accipe, & ignotis mitißima diua susurris
Auge cuiusuis numinis inuidiam.

Ex pertinaci imaginatione angitur, sese esse ubi amica sit, aut nusq̃.

Sum tecũ? an ne abs te hinc abij mea Circia*? sum ne*
Hic tecum? an rupi uincula dura fugax?
Si non sum, quænam hæc oculis occursat imago?
Si sum, quid mihi te brachia nostra negant?
Præsentem præsens me quæro, ô fata, sed absens
Absentem, mecum me sine, cur ego sum?
Non *uana hæc uobis species mea lumina, quando*
Aut ibi, & hic sum una: aut nuspiã ego ullus ero.

Quàm pulchra es, tam esses pia, aut tam ego essem facũdus, q̃ si metus facundiã extorquet nõ mirũ, sed mirũ amicam meã in corde insertã esse, & tamen uoces meas non audire.

Cum se isti accinxit primum natura decori,
Atq; opere obstupuit Dædala uicta suo:
Aut tibi uenissent æqui pietatis honores:
Aut totidem uerbis pondera blanda meis.
Quòd si uerba abeunt animo mihi, tristibus iris
Atq; acie rapidi luminis ista tui:
Non mirũ est, sed corde meo cum inserta profundo
Es domina: & uoces non capis ipsa meas.

Ad Stæchadas insulas cum pernoctaret ob tẽ pestatem, dicit Hersillam multo sæniorem.

Quippe hi sunt muti silices, brutæq; paludes:
Quippe hæc quæ rigida marmora mole iacent.
Quippe hi sũt scopuli, & scopulis furor addit⁹ Euri:
Fractaq; spumificis murmurat unda uadis.
Et tamen in tanto pelagi, uentiq; tumultu
Redditur ad uoces nominis umbra meas.
Quippe hi nec silices, trucibus nec marmora uentis:
Nec refluis scopulos æstibus urget aqua.
Sed scopulosq; feruntq; salum, tristisq; ruinas
Hersillæ gelido pectore fixit amor.
Seu cum de placidi tranquillo numine uultus
Abscondit uoces uox truculenta meas.
Siue ubi fraudato pacatæ frontis honore,
Auia concepto muta furore fugit.

Ad Telesillam ne speret sole suos siccari capillos, quem fulgore suo perstringat, sed aut aspectu suo igneo, aut poetæ ipsius igne pectoris.

Quid radijs madidos pandis Telesilla capillos
Credula? quid ludis lumina falsa dei?
Ille tuæ lucis rutila perstringitur aura:
Pallentesq; pudens decolor urget equos.
Crinibus æthereos quin aut inflectis ocellos?
Aut siccas rapido pectoris igne mei?

Vulneratã ceruam Dictamum quærere quod ueneno aduersetur, at sese eodẽ loco, & uulnus pati & remedium quærere.

Sicubi Treicia grauiter fera fixa saigtta est,
Lætiferæ fugiens barbara fata manus:
Appetit, ignoto Dictamum ubi sidere surgens
Purpureo tepidam gramine carpit humum.
Ast ego flãmato moriens Lampteros ocello,
Vnde legit uotis spicula dira meis:
Non minus uno eodem quæro sub uulnere uitam,
Nec mi alibi raptos est reparare dies.

Puellam ciuem suã deperibat forma mirabili, eius recordatione subibãt identidẽ lares patrij, propter eam igitur sese ab exilio uindicari.

Quid merui fugiens Athesis pater? unde petenti
Indigena dulces amne negantur aquæ?
Iam neq; barbaricus laribus mihi miles auitis
Incubat: & bibulam sanguine pascit humum.
Hoc fuit, at nunc heu ueteris sum criminis hæres,
Insontemq; premunt noxia fata patrum.
O genus, ô patria, ô patrij dulcissima cæli
Lux, mihi perpetuis lucibus una prior.
Quiq; rudi faciles formasti uerba penates
Mollia: cum uestros lusimus ante focos.
Me fors aerijs licet auferat auia nimbis,
Et procul à notis æquora liminibus.
At tenera antiqua fruitur dum Turrias aura,
Et patrijs animus pascitur ille Deis:
Me mihi quæ rapuit, charisq; inuidit amicis,
Cuius ab ignigeno pectore uita mihi est:
Tantum aberit miseram subeamus ut exulis umbrã,
Quãta ipsa est patriæ patria rara meæ.

Bononiam Flaminiæ urbẽ nobilem Amica petit, habetq; secum Poetæ cor: eam igitur dicit ipse necessario amantis memorem futurã, cum duo corda possideat, quando ipse qui sine corde est, memor fit.

Huc ubi Felsineæ Rhenus celer accola ripæ
Laxas perpetuo margine frænat aquas,

Transtulit hinc abiens nostros Myrtilla furores,
Atq; auido profugum pectore secum animum.
Sis felix anime, at si quid modo numinis umbræ
Concilias domini nomina parua tui.
Nanq; ego si nullo cordis suffultus honore,
Communis nequeo non memor esse Deæ:
Haud procul à uero est, nostri memor illa uicißim
Fiat: quæ gemino corde superba fugit.

Persuasum antiquis fuit, umbras nostras apud inferos accusare uitam uniuscuiusq;, sibi, inquit Poeta, nullã unq̃ extitisse umbram, ob perpetuos ignes quibus semper obsessus fuit, se igitur comite amore descensurum, à quo nunquã deseratur.

Postquàm lux animi spatio confecta supremo
Naturæ rigidas implet inepta uias.
Si uerum est: genitas radiorum uiribus umbras
Crimina sub stygio nostra referre Ioue.
Cum suprema dies curis me exoluerit atris,
Nec tamen immiti soluerit illa Deo:
Isthuc sub gelidas Horci per deuia syluas
Me secum uacuo limite sistat Amor.
Nam neq; nube caua liquidus cum cõditur Aether,
Nec cum flamigerum nox ruit alta diem,
At nec solicito cum sol altißimus æstu
Subiectam rapido lumine pulsat humum,

Tunc expreſſa meo de corpore funditur umbra,
Contra,amor aßidue pectore bella gerit.
Eheu umbra mihi quando fuit?ut mihi ſemper
Lucida perpetuas uentilat aura faces.

Somnium nõ fictum,ad Benacum lacũ à cupidinibus uinculis necti uidebatur, & uapulare, experrectus hoc cõdidit epigramma, eorumq; uiribus potiorem unam tantum puellam.

Hic ubi piſcoſas aperit Benacus arenas
Vaſtus,& innumero gurgite ditat aquas:
Nam quid uimineos miſera hæc in pectora nexus
Ducitis,aut caſſas nectitis arte moras?
Aut quid me gelidis fruſtra committitis undis?
Totq; ab inhumana uerbera ferre manu?
Si mihi ſub gelidis ſit pœna luenda tyrannis:
Vna poteſt ueſtris legibus,una poteſt.

Matrem decem annos nõ ſolum luxit,ſed etiã fleuit miſeram,inquit,uitæ noſtræ cõditionem, cum ipſe malim matrem his rebus mortalibus intereſſe quàm inter ſenatum cælitum.

Quæ gelidæ ueniunt decimo ſub frigore brumæ,
Inſtaurant lacrymas tempora lenta meas.
Cumq; alijs ſoleat ſuperati oblita doloris,
Candidior nitidos hora referre dies:

Mi crescit desiderium, & uestigia seruans
Prima pius calido pectore anhelat Amor.
O dulce exilium, ô falsæ mala gaudia uitæ.
O fallax trepido tempore fulta quies.
Te licet in patria diuum florente senatus
Crescat, te his malim mater adesse malis?

Non mirari Glaucillam iratã ussisse carmen,
at mirari dum legeretur, non esse ustum.

Siqua tibi ludens numeris Glaucilla pudicis
Expressit miseras candida Musa faces:
Turbida fulmineas succendens protinus iras
Indideras flãmis pabula dira feris.
Quid mirum? mirum potius si dum legis, haud sunt
Fulminibus rapidi luminis usta tui.

Munuscula non esse spernenda quasi indigna,
nihil enim ipsi par præter ipsam.

Quas tibi Myrtigenas misi Telesilla coronas:
Quæq; tuli genio lucida serta tuo:
Ipsa suis manibus sudauit Cypris: & ipse
Lecta suburbano littore misit Amor.
Cætera gemmiferis iactat niger Indus ab oris:
Diuiteq; ad serem uellere uenit honos.
Ah ne sperne tuis quasi sint hæc ultima uotis,

Nec tam diuina munera rara manu.
Nam tibi si æqua uelim committere munera, solam
Instituui teipsam mittere Diua tibi.

Somnus quies est sensuũ, & corporis, nõ mi-ratur somno redditam amicæ uenustatem, sed sæuitiam: sæuitia enim tranquillitati contraria.

Humida qua rudibus clausilla sub alpibus, haustæ
Fluctibus Eridani iura resignat aquæ,
Somnus honorata genitor taciturnus in umbra
Transtulit heu gemitus huc monumenta mei.
Fessarum pater & fomes placidissime rerum,
Hac tibi signatam quis dedit arte manum?
Redderet ut faciem, sub qua natura pependit,
Atq; opere obstupuit Dædala uicta suo?
Hoc potuit? at qui potuit sine crimine rerum
Esse tua in frontis turbine tuta quies?

Rosam uri solis æstu, & non uri oculis amicæ, se nõ uri ceniũ gemino sole, & uri oculo uno.

Aemula succinctis ridenti luce labellis,
Dic rosa: sidereus unde coloris honos?
Nunquid ubi ignigenis admota es naribus, illas
Traxisti flammas subdola agente anima?
Aut ubi flammigeri cum luxuriantur ocelli;


Insedit strictus igne comante rubor?
Sed uitæ cum solicitam sol reddit, & unus:
Qui uitæ soles restituunt gemini?
Me miserum: quem non Centenus adurit Apollo
Ignibus ingestis: uno oculo pereo.

Dipsadi Veneria uenera comparat, eo tamen dissimilia, quòd & uulnera & remedia indidem petenda sunt.

Est in desertis Libyes: ubi letifer atros
Per populos rapidis auster anhelat equis,
Tristis, & infesto damnata simillima cælo,
Reptilis infami bellua dipsas agro.
Insidijs pollens: morsuq; inspirat acuto
Perpetuam illata uulnere dira sitim.
Haud aliud mea nunc obsedit corda uenenum
Vnius ignigena luminis icta acie.
Verum dissimile est, flammas nanq; inter acutas,
Sunt eadem auxilijs ora petenda suis.

Non esse uexandũ sese spiculis cupidineis, sed oculo Fulgentiæ, quam ubiq; Lamptera uocat.

Si mea flãmigeris obnoxia membra tyrannis
Anxia cogebas sub iuga panda Venus:
Quid uaga perpetuo repetuntur spicula cornu?



Sæua quid innumero bella sub hoste geris?
Diua grauem prætende unum lampteros ocellum.
Vnum hoc innumeri uulneris instar erit.

In omnium rerum quiete, sese unum excitari, uarijsq; affectibus distrahi.

Rosida nunc reficit nocturnos orbita saltus:
Nunc tacet & medias nox agit alta uias.
Effera nunc pingues mulceat animalia somni,
Et torua instratis fluctibus unda silet.
Quinetiam tacitis labentia sidera cælo,
Ne somnos adimant ire iubentur equis.
Vix bene semirutis echo proiecta sub antris
Concaua, nec certo murmure pulsa fauet.
Vnus in abductas longum feror auius auras:
Et legit audaces semita lenta pedes.
Huc me sub ueteri cogit Telesilla triumpho,
Cuius in arbitrij lege superbit amor.
Quæ blandum lacrymis nisi me lactaßet amantem,
Sauciaq; incertis corda cupidinibus:
Ahah quàm lento fureret fax ignea plausu:
Quamq; forent grauibus libera colla modis.
Nunc nolens uolo, meq; sequor, fugioq; sequentem,
Atq; ultro redeo præda cruenta mihi.

Cum amica sit frigidißima, quare rubet? cum ipse sit calidißimus, quare pallet? si pallor meus à corde tuo frigido exit, & à meo corde calido tuus rubor, utinã nõ colorẽ tantũ mutuemur, sed affectus quoq; caloris tu, ego frigoris.

Cum mea flammatis pulsantur lumina ocellis,
Atq; ictus rapido fulgure cedit amor:
Vnice curarum limes Glaucilla mearum:
O seges, ô numeris area lata meis:
Sic nobis bene Di esse uelint, minuantq; dolores:
Vel tu numinibus, tu mihi mille prior.
Dura licet rigeant grauius tibi corda pruinis:
Flexa magis caleant fulmine corda mihi:
Quid niueas subito signat tibi lumine malas?
Quod mea pallori destinat ora gelu?
Si sit, ut è uestro glacies petat ore meum cor,
Si rapidas nostro ducis ab ore faces:
O fieret quoq; uti huic penitus tibi seruiat æstus,
Torpeat in gelido frigore nostra anima.

Iterum solicitari ad bellum, si igitur fato destinatur neci, satis id fieri posse ab amica.

Diues ubi exercet lætos Aquitania colles,
Et pinguem innumero uomere fingit humum:
Syluarum nemorum ferus populator honoris,

Exercet rapidus improba regna canis.
Et modo Garumnæ cursum scrutatur acutum,
Ac iubet angusti fluminis ire uiam.
Ille siti modo nascentes malus enecat herbas,
Languidáq; exhausto pignora fonte premit.
Attamen hic medijs Mauors crudescit in armis;
Et circum amentes Mors uolat atra manus.
Hoccine mi exilium diui indixistis acerbum?
Et lentos tanto turbine ferre dies?
Vt patiar toties alieni crimina cæli:
Duráq; Barbarica colla premam galea?
O durum exilium, duræq; incommoda uitæ,
Si procul à uita degere uita mihi est.
Si placuit ferro, & flãmarum tristibus iris,
Si cæli rapido me igne perire iuuat:
Reddite me nostris, nostris me reddite ocellis,
Vna sat in mortis iura puella meæ est.

Catellam amicæ non latrare se, sed ignotum ipsi Cupidinem, quem perpetuum sibi comitem ubiq; scribit.

Non erat hoc mea lux furti quòd conscia nostri
Latrabat gressus nota catella meos:
Ignotum nobis canis hæc latrabat Amorem:
Quo duce non unq̃ pectora nostra uacant.

Colles alloquitur Romanos, quorum fastum tempore domitũ dicit, ita & de fortuna sua sperare.

Vos cælo educti scopuli, sacræq; ruinæ,
Et nox quæ Latios obruis alta Deos,
Felices animæ ueteris quibus inclyta Romæ
Relliquias sacri nominis umbra capit:
Si uestra hæc cedunt fatis, si dente proteruo
Expugnant fessas sæcula cana moras:
Spes etiam est, ut sæua quibus fortuna superbit:
Extinguant rapidas tempora longa uices.

O anime mi, si me amas; quare abis? si me odis, ne te transferas ad amicam, quoniam ea mihi hostis est, quare cum ego idem sim cum ea, ero quoq; mihi hostis: igitur odio me habebo, idem tibi igitur & cum illa mea hoste esse, & mecum qui mihiipsi sum hostis.

O toties fugitiue: tuæ uiden hospitis iras
Me aduersum firma castra locare manu?
Si mihi das operam, & nostri te anxere dolores:
Quæ male fausta tuos transtulit aura gradus?
Sin ita te misere cœperunt tædia nostri,
Vt malis profugo fræna inimica pede:
Quid fugis? ex ista mea mens cum pendeat hoste,
Vteris meipso non minus hoste mihi.

Ad Natisonem fluuium Carnorum in Italia, cum nataret qua prorumpit in mare Adriaticum, hoc condidit epigramma.

Insomnes latices, refluiq́; oblita recursus
Flumina: quæq; alio sole tapetis aquæ.
Vos quoq; perpetuis horrentes rupibus alpes:
Inuia magnanimæ mœnia dura plagæ,
Vosq́; cauas ualles, & uos uada lentus adoro:
Teq́; ferax, humilis & miser hospes, ager.
Huc ad uos nostra: huc referant si corpora fluctus:
Nec bonus inuideat forte uiator humum:
Suspendens Veneriq́; lyram, paruasq́; tabellas,
Tristia signato puluere uerba notet.
Obruit hic uirides sæuum mare Cæsaris annos:
Et satis ad tantas uix fuit unda faces.

Philomelam consolatur: suadetq́; uti sibi luctũ merito relinquat.

Nondum etiam tenues diffudit in aera rores
Arbiter optatæ lucis opisq́; deus.
Atq; memor geligæ, nec adhuc ab luce solutæ
Noctis, inexpletos integrat uda modos,
Natum populea quærens Philomela sub umbra:
Et tenerum querulo carmine luget styx.
Anne recedentis miserum uigor aureus anni,

Quæq; ferunt steriles tempora longa uices
Solicitant desiderio? locaq; auia cantu,
Flebilibusq; modis rumpere iussit amor?
Solue feris animum rugis, & crimina cordis
Excute de frontis luce serena tui.
Et mihi perpetuis lacrymis, luctuq; sepulto
Aduerso dominæ numine mitte frui.

Dubitat an amica potitus sit, nam si ita sit, bene est, si potitus non est recte item est, nam si ita affectus est ab amica absente, ut nesciat quid rerum sit, multo magis timet à præsente, ne ledatur.

Vicimus? & nitidis dum ludit Adoria pennis,
Iuit in amplexus aurea diua meos?
An uicti? & tetricis superata superbia fatis
Cessit adorato colla premenda iugo?
Nempe hæc, quæ procul in nostrã est crassata quietẽ
Ah propius nectet qualia uinola mihi?

Reprehendit amorem, qui lacrymari passus est amicã, nã si eo humore corrumpunt ocelli, & faces extingunt, non erunt alij oculi ubi rursus accendat.

Crudeles lacrymæ, sanctiq; oblita decoris
Flumina: quod nitidis fas fuit ire genis?

Sic mihi sidereos, sic corrupistis ocellos,
Cum gutta æthereum lucida pinxit ebur?
In regnis ausæ hoc Veneris? heu dure Cupido
Non pudet ah nos hæc monstra superba pati?
Flebis item, lacryma tibi si perit ignis ab ista,
Vnde erit extinctas rursum animare faces?

Praxilla optabat secũ Poetã inter ludũ Veneris expirare, utrunq; mortis spiculis cõfossum, ipse dicit, alterutro defuncto utrũq; interiturũ.

Cum tereti mea lux uinxit mea colla lacerto:
Quæ sibi sola ferus uincula nouit Amor:
Et dubia annexis coniuncta per oscula labris
Errat ab ignigeno turbine uicta anima:
O utinam sic mors inquit nos soluat amantes
Iuppiter, at ne has sic mors quoq; solue moras.
Sed trahe confertim iunctos, ac redde tenebris:
Atq; eodem geminum uulnere pectus age.
Ne pete, ne Praxilla duos ut uulneret: ex te
Hic animus numeros, pendet, habetq; suos.

Exultat amica potitus, detestatur uoluptatis breuitatem, tanto post tempore partam.

Dulces exuuiæ, quæsiti clara triumphi
Muneráq;, & primi conscia signa metus:

Nectareæ lacrymæ: grauiusq; admorsa labella
Flãmea: quæq; unus basia nouit amor.
Vos ne ego post ternas glacies, triplicesq; calores,
Vos ne inter duræ munera militiæ?
Vos ne mihi è medijs nox hæc Amathuntidos antris?
Vos ne ab Acidalio misit amor nemore?
Dum loquor: heu miserũ: & mẽti mens hæret inani,
Seq; leuem falsis implet imaginibus:
Quo ruitis? duri quid non potuistis amores,
Fallere tantilla lumina nostra mora?
Heu Veneris fugite infesti ludibria regni:
Ante etenim q̃ quod cœperit esse: perit.

Epitaphium Benedicti Scaligeri patris inuicti, atque imperterriti.

Euerso patrio imperio, atq; illustribus armis,
Scaligerum inuicti post monumenta animi,
Victum ab eo toties fatum superauit: & inde hæc
Relliquias tanti nominis urna capit.

Apes monet, ne floris amicæ fulgore deceptæ inde mella captent, noxium enim esse & letalem, ut & fulgorem fulminis.

Quæcunq; aerio per inania murmura Cliuo
Florilegæ saltus solicitatis apes:

d.i.

Ah uos decipiat falsi ne floris imago,
Candida qua Pholoe colla reclinat amor.
Illic frigida uis taxi, & sedere uenena
Mascula, nec Cyrni lenior umbra fuit.
Fulgida sic etiam fera fulminis aura corusci
Auræ uitalis soluere iura solet.

Abs sese somnum aufugisse, & occupasse Circiam, sed propterea nihil illi partũ gloriæ, unico enim illius oculo tantũ periturum, non enim adapertis oculis dormire potest.

Aufugit mihi somnus, & imo cogitata cubili
Peruigil in lucem membra recursat Amor.
Quid sperem? dormit ne igitur mea Circia? sic est:
Illam inhians tacito pectore fusus habet.
Somne pater quondam placidissime somne quietis:
Hunc plagij, & raptus sæue metusq; pater.
Nudam armis quid opus teneram superare puellam?
Si te oculo tantum uiderit illa, peris.

Spe frustra foueri, Circiam enim trans alpes esse, eis igitur minatur, nisi ipse transcendat, Circiam eas itinere superaturam, unde rumpantur illius igne, ut olim ab Annibale.

Sentis ne aerijs spes ut uehat omnia pennis,
Destituens rapido uota precesq; pede?
Nec reditura, graui propior lux ultima fato
Quanlibet armatas excubet ante fores?
An tibi me ingrati rapuerunt Circia uenti,
Sera subalpinis dum tepet umbra iugis?
Ripæ: infelices ripæ: quæ tristibus auris
Et fera Barbarico cingitis arua pede:
Nostis diuæ oculos: nec me iam redditis illi:
Atq; alio excisas igne perire iuuat?

Ad Carmina sua, qualia futura sint in tumulo.

Exangues notulæ, & durum spirantia casum
Carmina: nec dulcis munere fulta animæ,
Vera nimis, heu uera mei morientis imago:
Si tamen ab uitæ uis super ulla meæ;
Cum mihi fatali uenient noua funera planctu:
Et cedent numeris nostra elementa suis:
Hanc signate leui conceptam cespite caussam:
Redditeq; his miseris lucida busta notis.
Nulla hoc umbra loco, tumulus quem cernis, inanis.
Nam cui nec uita: mors quoq; nulla fuit.

Ab eadem amica, uitam æque ac mortem proficisci, quoniã & sine ipsa inutilis, & cum ipsa nihil nisi ipsam sapiens.

Raptum, atq; amissum uiuo me funere, quid fles,
O animi potior parsq;, salusq; mei?
Postq̃ sidereis mea Naeuia coepit ocellis
In me odium fati solicitare mei:
Quae prius his uitae gelidis errabat in umbris
Deses, & ignaui tabe sepulta situs,
Flammigerisq; oculis placidum bibit icta uenenum
Mens mea: si uoluit uiuere: iussa mori est.

Sirij ardoribus comparat uim oculorum amicae ob quam soluatur in fletum, ut nix, quare non iam utar lacrymis, sed Telesilla pietate uicta utetur me uice lacrymarum.

Qualis in aduerso stellarum infamia caelo
Letifero rapidas explicat orbe comas,
Sirius? atq; agros cursu diffindit acuto:
Cum queritur raptas flos taciturnus aquas.
Sic mea: sed geminae populantur pectora flãmae:
Et subeunt rabida tetra uenena siti.
Sed tamen in tantis arentia membra ruinis
Soluor: ut aestiuo nix perit alta die.
Atq; ego non iam, non lacryma miser utar inani,
Sed lacrymae utetur me. Telesilla uice.

Inter omnium rerum quiete, se unum uexari, confici tamen non posse, dum laetis amoribus Glauciae fruitur.

Aſpicis ut liquido crebreſcunt ſidera cælo,
Noxq́; frequens tacitis ignibus uda micat?
Quæſitamq́; inter nemorum fruticeta quietem
Abdita ſopitis luſtra dedere feris?
Quiq́; ferox fluctus furioſo tunditur Euro,
Attonitis poſito murmure ſedit aquis.
Quid merui miſer: ut laribus turbatus auitis
Perpetiar duro uincla ſuperba iugo?
Quid tibi uis fortuna? fugæ fuga quæritur, ut ſim
Vna nouo ſemper perdita præda ſolo?
Non potes, ætherea dum Glaucia ueſcitur aura,
Perpetua fidi pectoris arce fruar.

Cum uidet quantũ matres orbæ fleant, reprehendit oculos qui haud pro re, lacrymẽtur, eorum alter reſpondet, amoris æſtu abſumptum eſſe humorem.

Quaſcunq; aſpicio lacrymas, quas funere mater
Fundit inhumanos cum uocat orba deos:
Quanta oculis demens noſtris conuicia feci,
Quos uideam numeris non ſatis ire ſuis.
Quorum alter, tantas capias cum pectore flammas,
Eſſe uel à magno flumine gutta poteſt?

Ad arma ſua, q; ea cum otio cõmutarit, inutilia enim ſibi eſſe, quibus tectus à nudo cupidine ſuperetur.

Vestrum præsidio rapidas qui fulminis iras:
Seu uis fulmineo est fortior ulla metu,
Securas hominum, diuumq;, & quicquid ubiq; est,
Spernebam amenti pectore fida anima:
Heu tellis infensa feris, ac nescia uestri
Otia de amplexu uos rapuere meo.
Mollior hinc reuocat blandis inflexibus ætas:
Languida difficili colla leuatq; iugo.
Nam porro quid erit uestri mihi numinis usus:
Quæ tamen heu didicit uincere nudus Amor?

Affinis suæ Nogarolæ *Epitaphium hoc condidit,* Græca, Latina *&* Thusca *lingua, poetriæ mirabilis.*

Sub decimam triplicis linguæ commercia Musam
Hoc tenui cinerum puluere capta iacent.
Heu dulcis numerosq; lyræ, flexumq; sonumq;,
Obruit extremo lurida parca die.
Memnosynes sanctæ soboles, pia turba camœnæ,
Non *capitis tumulum hunc ex* Elicone *locum?*

Quocunq; abibit morte obita, omnia ustũ iri, solam amicam tanti monstri expertem.

Siue animus tenues mihi dilabetur in auras,
Seu leuis infernos oderit umbra deos:
Ille locus, locus ille fero torrebitur æstu:

Nec poterunt tantas ferre elementa uices.
Trudite me liquidi ſubter uaga flumina ponti,
Vnde dat Oceanus humida iura uadis:
Mutabit rapidis liquentia marmora flammis,
Inq́ patenti ingens æquore nullus erit.
Ah cum tanta miſer iactes incendia, monſtri
Secura, atq; expers una puella tui eſt.

Comparat Lucifero & Auroræ amicam, ſibi tamen uni afferre eam tenebras, ob fulgorem nimium amentem fieri.

Serica dum circum tua lactea colla ſuperbit:
Et ſtupet aſtrictis arsq́ decorq́ comis:
Liquitur incerta trepidus formidine ſanguis,
Sedibus atque abeunt mensq́ animusq́ ſuis.
Hiccine qui puris ſurgit mihi Lucifer undis,
Et trahit innumeros in ſua iura deos?
An roſeis Aurora nitens innixa quadrigis
Diſpulit inuecto pallida caſtra die?
O durum exitium, tanta ſub luce tenebris
Solus agor, ſolum lumina nocte premunt.

Amaranthidos crines uentilari, reliqua omnia non moueri, quoniam ea ſede potitus uentus cætera indigna ſe putet.

Qua diuina comis Amaranthidos aura superbit:
Atq; inter faciles ludit amica sinus:
Cernis, ut immoto magnum stet lumine cælum:
Et tacitus placida fronde quiescat ager?
Non hic, ob immites oculos, sæuumq; furorem,
Aut uenit à duri turbine frontis, honor.
Aethera quin potius uideas tabescere, quando
Coniurant geminæ sub mea damna faces.
Sed rigidæ fieri spernit rudis accola ripæ,
Quæ cælo ciuis aura recepta meo est.

Futuræ nuptæ lusus noctu explendos, ne uidendo Dij inuideant.

Flameolum, & Tyrio deceptas murice lanas
Induet intacta crastina nupta manú.
Quiq; sibi toties me deuinxere lacerti,
Instituent posito uincula uera metu.
Vnus ibi è gemina concrescet spiritus aura:
Et dubio errabit limite flos animæ.
Cætera: quæ Venus, & gemini nouistis amores,
Et torus, & casti Cinxia diua tori:
Ne tanto inuideant cælestia numina fato:
Cæca teget tacita nox adoperta face.

Variam fortunam inuitum perpessum, sponte autem dominæ seruire, amoris iussu.

Per ſcelerum ignotas facies, perq́; inuia fati
Conſilia: & Nemeſis noxia tela Deæ:
Quidnam ego non uidi? quid non perpeßus? ubi non
Extant heu uitæ iam monumenta meæ?
Exilium, turpemq́; famem, belliq́; furores,
Et rabidæ inuidiæ ſpicula cæca tuli.
Inuitus mala tanta, at me nunc ferre uolentem
Seruitij infeſtus pondera iußit amor.

Ad Nemeſin, & Iouem ultorem, & genium ſuum, & lares ſuos, inter peſtilentiam, ut ſalutem ea mors, cæteris mortibus finem imponat.

Dij rerum ultores: & Dij morientis Iuli,
Et Dij, ſum ueteri quos ueneratus ope:
Et natale ſolum: & duri bene conſcia caſus
Numina, me ſanctis quæ rapuiſtis auis:
Dum furit immani Libitinæ inſania luctu,
Et ſortem iniuſta librat utranq́; manu:
Accipite hanc animam: meq́; his exoluite, dum mors
Vna poteſt tantis mortibus una fugam.

Claudit opus, ſpretis ludibrijs uenereis.

Poſt ualidas fati clades: ſortisq́; ſuperba
Imperia: & rigidus quæ iuga dura tuli:

Spes Dea, spes uitæ domina & regina futuræ
Non capiam pauido munera uestra sinu?
Si uerum est quòd amans in amatæ regna figuræ
Cedit: mensq; animos integrat una duos:
Si iurata Ioues: si conscia sidera fallit,
Si Telesilla datam, soluit inepta fidem.
Sueta prius trahere in uarios mea pectora casus,
Nunc uocet in numeros sic quoq; dira suos.
Dura uale Cytharea: uale scelerate Cupido:
Ac merito populo fabula nata uale.

IVLII CAESARIS SCALI-
GERI, *Nouorum Epigrammatum*
Liber unicus finit.

IVLIVS CAESAR SCALIGER CAROLO SEVINO *amico præcipuo*, S.



Xoluo nunc fidem meam optime Seuine, Hymnos Iohanni Bapt, & Rocho atq; Sebast. ad te mitto, ea lege, ut per te castigati, edantur, sed ita, ut ne quid limæ desideretur in æditione ipsa. Puncta uero tibi commendo, quorũ rationem adeo necessariam duco, ut & illustriorem fieri orationem putem, non solum sententias distingui. Ludouicam uero Sabaudiam, præter cætera, ut q̃ diligentißime excudendam cures, etiam atq; etiã rogo. Quanquam enim multos habeat rex poetas optimos, tamen res ipsæ comparentur, non autorum nomina. Fidei uirgini & martyri Agennensi hymnus, nondum mihi penitus probatur, sed alias persoluam. Sicut quatuor superiores, Deo patri, Deo filio, Deo spiritui, utriusq; & ab utroq; uni, & gloriosißimæ matri semper uirgini Mariæ, qui omnes affecti sunt, sed nondum perfecti. Mitto etiam Epitaphia regiæ matris, parem fortuunam tua ut opera subeant. Libuit enim mihi insanire, qui post tot argumenta, tot illu

strium uirorum egregias inuētiones, ausus sim inter-
strepere, idq; neq; sobrie, neq; mediocriter, non enim
uno Epitaphio cōtentus, alterū etiā addidi, satis id pu-
tasti? At non satis praecipiti ingenio, quale mihi obij-
ciunt amici, itaque cum uespere literas obsignassem;
sub lucem poposci pugillaria, ut te quoque insomnia
exerceat. Vale Agenni XX. Februarij,
M.D.XXXIII.

IOANNI BAPTISTAE.



Axime terrigenum, ac domini præcursor olympi,
Sancta anima, & tacitis cælorum exercita fatis,
Vltima legiferæ naturæ meta Ioannes,
Cui fului claros humeros immane cameli
Tegmen obit, nudoq; sonant de uertice Nimbi,
Te per inaccessos tumulos, & inhospita saxa,
Nunc uero æthereas sedes super, & super altos
Cælestumq; choros, moderatorumq; cateruas
Sublimem ueneror miser: atq; incondita porto hæc
Dona prius, uideri ut toto te pectore perflans,
Hoc animo, hac mente gerens, his sensibus hærens
Fumantes tibi nunc supplex aduoluor ad aras?
Principio teneri post incunabula mundi,
Et labem fragilis thalami, primiq; parentis
Crimina, quæ sanctæ lauerent primordia Lymphæ,
Cætera quæ canerent primorum carmina uatum,
Spiritus æthereo ignotus de fonte profudit.
At tua sancte parens æquæui luminis ætas
Extulit in ueræ præsentem commoda lucis.
Ante etiam æterni conspectum regis, & ante
Quam rudis haurires uitalia semina cæli.

O amor, ô pietas, materna conditus aluo
Ignotum terris dominum ſine uoce ſalutas,
Debita diuinis ſummittens genua latebris.
Mox ubi conceptas eduxit ſpiritus auras
Feruidus increpitans cæci ſcelera horrida mundi,
Solorum nemorum lætus ſecreta petiſti:
Vuida deuexæ penitus qua cornua ripæ
Perpetui liquidas flectunt Iordanis habenas.
Inter deſertum campi latus, inter & æſtus,
Collectamq́; ſitim, diriq́; incommoda cæli,
Nec domat extremo quæſitum munus in orbe
Medorum liquidus ſuccus, laticisue Lyei,
Arida nec domitis ieiunia ſoluis ariſtis.
Mella tibi patrijs uni liquentia Ramis
Dædala ſudat apes: tibi puras obuia Lymphas
Summittit tellus: ac uilia membra locuſtæ.
Inde frequens locus ipſe uiris, montanaq́; paſsim
Turba ruit, uidui campiq́;, urbesq́; relictæ.
Et libertatem populi ſpirantis imago.
Tu quis es? an ne æuo patribus promiſſa priore
Vera rudimenta, & certæ fomenta ſalutis
Dexter habes? gentisq́; agitas arcana renatæ?
O grauis æterni ſoboles ſperata parentis,
Adſis perpetuo imperio, & ſordentia puris
Dilue conceptis ſceleris ueſtigia Lymphis.
Sic populus, ſic ille, dei ne uera propago,

Nec uates: sterili sed uox clamantis in ora.
Vos, quibus à supera pax est promissa quiete,
Perpetuo licet hanc lucem celebretis honore.
Ecce diem, qui perfudit uos lumine: qualem
Extremo ueniens nunquam aspexit olympo.
Rex regum, æterni sceptri cui summa potestas,
Regna bonis, pacemq; gerens, clademq; profanis.
Qui fuit, ante ego q̃ fierem, meq; ipse secutus,
Exoluet ueteris sordentia crimina pœnæ:
Non ut ego abiectæ fluuiali munere Lymphæ,
Sed liquido afflatu, ac cæli fulgentibus auris:
Et patrium insonti pacabit sanguine regnum.
Sic ait, & nitidis populum lustrabat in undis,
Multa monens, multa ore pio mandata resoluens.
Ecce autem sacris sese referebat abaruis
Vera dei soboles, mundi melioris origo.
Quem circum ætheriæ iam numine percita flãmæ
Collecta exilio, ueteriq; è crimina turba,
Matres, atq; uiri, pueri, innuptæq; puellæ,
Ipsæ urbes, ipsiq; agri, tota ipsa sequuntur
Agmina, deserto cessat iam taurus aratro:
Pendet & amißis opera interrupta iuuencis.
Illius ut uates fulgorem feruidus hausit
Fulmineum: perq; ima pius calor ossa cucurrit:
En pacata, inquit, scelerati uictima mundi.
Sic ait, & sanctum posito uelamine corpus
Tingit aqua, autoremq; illius muneris ornat.

Tu ne deum fontis dono merſare ſalubri
Tu ne deum? tibi qui tribuit ſua munera, de te
Hæc petit, & meritis ceßit prudentia fati?
O ſpolia, ô uerum ueteri de labe triumphum.
Cui de te tantum licuit? quæ uera monentem
Inuidit miſeris terris fortuna? nec ipſum
Carceris infandum placarunt uincla tyrannum:
Vt ſacrum aſpiceret caput à ceruice reuulſum?
Ergo illum inferni ſubter fera limina mundi,
Et furuas deſperata caligine ſedes
Inſomnem exercent furiæ: cui triſtis Erinnys
Infeſtum caput anguineis redimita capillis
Sanguineo aſſurgens facinus ſonat ulta flabello.
Quæ loca ne uideam reus, ô pater optime, mortis
Curriculo uitæ, ac ſpacijs diſcluſus iniquis:
Sed lacerum ſterili noſtum hunc in littore truncum
Singultantē animā dulci ꝑ nomine CHRISTI:
Quam toties miſer obieci mortalibus auſis:
Exora: meritisq́; tuis merita ardua captem.

ROCHO ET SEBASTIANO.



Os ne etiam lamenta uirum, gemitusq́; cadentum,
Magnanimi Heroes, *duo lucida ſidera mundi,*
Totq́; inter lacrymas horrentia funera tangunt?

Nos *uacuæ ſegetes, Vaſti nos frugibus agri,*
Ipſi nos ſaltus, nemorum ipſa ſilentia terrent.
Vſq; adeo inferni conceptæ è ſemine ditis
Ventorum molles animæ letalibus auris
Omnia corripuere, ruunt in mortis amorem
Terráq;, ſideráq;, & ſcelerati crimina cæli,
Corruptos effuſa lacus ſuper, altáq; nerei
Aequora: quíq; fouent uitæ mortalis Amorem
Iam facti ſontes latices, & morbida uulgo
Pabula: tum nullo pecudes cuſtode per herbam
Vitámq; exitiúmq; æqua ſub ſorte paciſci.
Hic oblita ſui, multamq; ignaua ſub umbram
Armenti decus, & trucibus pugna aſpera tauris,
Crebra gemens longo tendit grauis Ilia tractu:
Et nudis animam compeſcens dentibus ægram
Heu dulcem aſpectat morienti lumine natum
Perdita: nec lætas illi reminiſcitur herbas.
Parte alia ualidus proſciſſo taurus in aruo
Non ſulcum meditari, aut dicta audire magiſtri:
Verbera lenta pati: duriſq; abſiſtere uinclis:
Naribus & piceam patulis euoluere nubem.
Afflatos oculos olli rigor igneus urget
Terribilis: maciémq; lues contraxit acutam.
Ecce autem Heſperij ueniens ab limine mundi
Fortis equus, cui mollem animum, primúmq; pudorẽ
Soluit amor: pleniſq; inſedit flamma medullis:
Ille neque aſſurgens liquentis flagitat amnes,

Nec procul aerij montis de rupe coruſcans
Hinnitu increpitat Ceſſantem puluere campum.
Aſt illum in duris ſaturum ad præſepe capiſtris
Inſomnem exercet uitium, non ipſe uocatus
Ardet auens campumq́; dari, curſusq́; uolucres.
Non ægrum uirides herbæ, non plauſa reducunt
Pectora, non ſtrepitus iugum, freniq́; ſonantes.
Augentur cladis facies: nec funera tantum
Infelix pecus annumerat, cadit aureus infans,
Florentes puériq́;, & longis fulta ſenectus
Lucibus, extremosq́; ferens exempla ſub annos.
Ergo etiam longo matrona infracta dolorem
In luctum ſoluit ſperata ad funera crines.
Aut amens delubra deum, lucosq́; fatigans
Nequicquam ſeros exercet feruida planctus.
Nulla feris etiam tantum natura pepercit.
At leo per ſaltus uaſta & deſerta peragrans
Indomitis agitur furijs: atque uritur intus
Arduus: & preſſo cælum clamore laceſſit.
Omne nemus late exhauſtum eſt: lateq́; ſileſcunt
Errati ſaltus auibus, greſſuq́; ferarum.
Iamq́; uagi ſoboles pelagi, mutæq́; natantes
Senſerunt liquidis infuſa incendia in undis:
Turpiáq; inſano reuoluta cadauera fluctu
Extantes plangunt ſcopulos, litusq́; ſupinum.
Ipſæ & aues, uolucres animas in rupibus altis
Expirant temere: dira aut ieiunia uictas

Conficiunt,at quæ petiere cadauera rostris
Extemplo stimuli tentarunt ossa:neq; intus
Suffecisse ualent tactæ feruore medullæ.
Inde sequebatur uitiata in corpora lentus
Torpor:& erupta cute, putri sole sub ipso
Membra minutatim tabo liquefacta cadebant.
Hæc cæli rabies,hic fati tractus iniqui,
Quæ non facta hominũ,quæ non monumẽta deorũ
Expetere:& summis uota aspirare periclis?
Omnia conclamata:latent sub turbine planctus
Omnia:& obscura caligant mortis in umbra.
Ipsa etiam quæ nos uitam sperare iubebat
Ipsa fuga exitio est:soliq; ad funera nostra
Adsumus:& frustra ueteres reminiscimur agros.
Vos cælum,uos terra parens,terræq; parentis
Antiquæ fibræ,uitrei regna alta tyranni:
Sit satis has meritas funesto sanguine pœnas,
Diraq; supplicia hæc sæclis hausisse nefandis.
Vos ego per genios geminos,geminasq; coronas
Magnanimum Heroum precor,obtestorq;,uides ne
Vt Rochus ætherij tendat uexilla triumphi:
Quo signo æternam soluit pia uictima mortem?
Vt paribus socijs feliciter excubet armis?
His quondam Rochus inuicti discrimina morbi
Expulit:& latijs exegit finibus hostem.
Huc matres,quondam matres,dum uita manebat
Insontum infantum;& tantis defuncta periclis

Certatim ſeſe agglomerant lugubribus aris,
Nec fletu ſaturant oculos, nec pectora planctu:
Instituuntq; toros, trepidãt funalia longo
Ordine flãmarum, & late loca lumine complent.
Atq; ea dum penitus lugentum parte geruntur,
Inuictusq; animis, & belli turbine maior,
Hoc uno uictus pietatis numine natus,
Pro teneris lacrymis, pro fœmineo ululatu
Defixus rigidos oculos ſtupet, atq; ita fertur
Qualis ubi aut gelidam ſerus prope fluminis undam
Eridani, aut ligurum deprenſus uertice paſtor.
Ille feræ tempeſtatis ſecurus, & imbris,
Aut numerat capita, aut uenientum cornua diſcit.
At procul ut trepido cælum tonat omne tumultu
Obliqua de nube ſacer IOUIS *attigit ignis*
Afflatum: crepitãsq; uago coma murmure fumat.
Ergo ubi conceptus diuini in pectore Regis
Erupit dolor: & pulſas ſe effudit in auras:
Flebilibus tandem lacrymans ita uocibus infit.
Bis me igitur patrio cælo, atq; illuſtribus armis
Alma parens, patrumq; mihi monumenta meorum
Reſtituis: grataq; frui me luce iubebas:
Vt mihi quod dederas, illo te lumine caſſam,
Atq; hoc ſic poſitum antiquo ſine nomine corpus
Alloquerer: ſurdasq; onerarem queſtibus auras?
An ne etiam ætheria diuinum ſidus ab aula,
Debita perpetui ſpirantem pignora amoris

Maternumq; metum, & laudis ueræ inter amorem
Plurima quæ mandata dabas? quæ plura daturam
Vt uetuit dolor, ut lacrymis obsedit amaris?
Interea ancipiti tantarum in turbine rerum,
Si qua mihi dubios uerset fors improba casus:
Cui tandem trepidi committam commoda regni,
Quæ mihi tanta tuo steterunt interrita nutu?
Quid mihi mentis erit tam desolata uidenti
Regna tuo lacrymosa obitu: felicia quondam
Auspicijs seruata tuis, & reddita nobis?
Rhene pater patrijs positus qui terminus agris,
Culta fluentisono scindis celer arua tumultu:
Vosq; graues rigidis stantes ceruicibus alpes,
Obijce quæ inuicto nostrum discluditis orbem:
Quíq; ferox sceptris tumidus Neptune Britannis:
Quíq; per angustas prono citus agmine fauces,
Europen Libyamq; obsesso interluis æstu:
Túq; iugo fera Barbarico protenta Pyrene:
Hic mecum date thura, pijs date manibus aras.
En decus, en columen uestrum, sic gloria sceptris
Fœmineis seruata, fero iacet obruta leto.
At non & diuinum animum, dextramq; uirilem,
Pectoráq; aduersis nōnunq̄ exterrita fatis
Mors rapit, illa deûm sedes, superósq; penates
Explet, & aerias tuto iam dispicit oras.
Diua parens, auctus gaudent quo sidere mundus:
Alma faue: populóq; tuo te redde precanti:
Aeternúmq; meo salue ac uale inclyta luctu.

LVDOVICAE SABAVDIAE

Epitaphium primum.

Bis Regem cælo patrio Ludouica parauit,
Cum peperit: pacis cumque redemit ope.
Bis Regnum: uictorem audax ubi finibus hostem
Terruit: atque iterum munera pacis habens.
Bis seipsam: prius hoc uitæ mortalis honore:
Mox induta nouo sidere, uota fouens.

Alterum multò plenius.

Reginæ, Allobrox, mater, Rex ipsa regendo,
Auctior at forti Rege Loysa parens.
Regno illum natum: Regnum illi pace redempto,
Vno orbata, duos pace fauente tuli.

Aliud.

Sanguine Cæsareo Ludouica Sabaudia, Rexi,
Sola dedi Reges, soláq; restitui.

Aliud.

Non natum edendo Regem, absentemq; regendo
Præstiteram, reducē do quoq;, ter peperi.
Ecce uetus Bacchum taceat iam fama bimatrem:
Ter nati unius cūm una parens fuerim.

D. LOYSAE *matris Regis Epitaph. per* NIC. BORBONIVM *Vandoperanum.* 1532.

Heus tu, hoc summißa carmen lege uoce, Viator,
Hic Regis mater Dia Loysa cubat.
Hanc strepitu turbare caue: dormire putandum est,
Nempe deam, & talem non potuisse mori.

FINIS.





